

enotatus, et olim *Conuentus sancti Thome martiris Quinqueecclesijs fundati fratrum predicatorum*, dein *M. Nicolai de Czeek* praedicatoris Ecclesiae illius, qui illum a *F. Paulino O. P.* in concambium pro *Epistolis Hieronymi* accepit, continet *Nicolai de Lira O. M.* celebris *Sec. XIV.* Bibliorum interpretis *Postillas in Pentateuchum*, ut mox ab inventa typographia saepius editae sunt, et in *Bibliis glossatis v. g. Lugduni 1545. f.* habentur. Nobis rubro praescriptae sunt: *Incipit lectura Nicolai de lira. Primus prologus de Commendatione sacre scripture.* Ejus initium: *Hec omnia liber vite &c.* Prologus alter infit ita: *Uidi in dextra sedentis &c.* Tum procedit *Expositio.* Singulis libris subiectus est *Scriptio*nis annus *1485.* *Genesi* praeterea additur: *in penthecosten uel citra, Numeris: 2^a die festiuitatis Augustini, et Deuteronomio: Finis in festo Beati Mathei apostoli et Euangeliste.*

CXIX.

- U. 55 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 393. f. luculente exaratus, et rubricis distinctus *Lectio* nem *Cursoriam*, ut vocabant, Bibliorum, et quidem in *Pentateuchum* continet Autore quodam *Academiae Vien.* Professore, qui hoc ipso *Exemplo* pro *Schola* usus est, ut varia cum in marginibus adiecta, tum in schedis infertis adnotata credibile faciunt. Praemisit ille primo *breuem collationem diuinalem sapientie recommendato-*

riam, tum septem regulas secundum Nico. de lira exponendi sacram scripturam, demum Genesin sic ingressus est: In principio creauit deus celum et terram. Secundum diuisionem consuetam dimissis curiosis tota sacra scriptura in duas partes diuiditur in vetus uidelicet et nouum testamentum &c. Ad calcem *Geneseos* jacet haec nota: *1438. 3^a. feria post egidi finitum est hoc opus.* Ad calcem *Exodi* altera: *Finis expositionis super exodum lecte et finite in scolis 2^a. feria post Annunciationem Marie. 1439.* Tandem ad *Deuteron.* calcem, quae et *Codicis* est: *1440. viti.* Literae plerumque probe infitit *Commentator* eruendus fortassis e *Professorum Catalogo* in *Tabulariis Uniuersitatis.*

CXX.

- Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 126 Folior. nunc 229. f. non una manu currente conscriptus et rubro distinctus complectitur *I. Lecturam in Genesin*, cuius *Prooemium* infit: *In principio creauit &c. Obmissis diuisionibus curiosis accipio primam diuisionem quae magis est consuetata. Tota igitur scriptura sacra diuiditur in duas partes uidelicet in vetus et nouum testamentum &c.* Ad calcem legas: *Explicit Anno Domini M^o CCCC^o XXXIII. in festo Sancti Udalrici hora 1. in libraria Collegij.* In dorso vero *Codicis* manu recentiore tribuitur *Johanni (Gröfssel) de Tittmanning Oppido Salisburg.* Theologo nostro celebri et *D. Stephani Cano.*